



Disputatio juridica inauguralis de emtione & venditione

<https://hdl.handle.net/1874/342426>

6.

DISPUTATIO JURIDICA
IN A U G U R A L I S ,
D E
E m t i o n e & V e n d i t i o n e ,

Q U A M ,
P R Æ S I D E D E O T E R O P T . M A X .
Auctoritate Magnifici D. Rectoris ,
J O A N N I S G E O R G I I G R A E V I I ,
P o l i t i c e s , E l o q u e n t i æ & H i s t o r i a r u m P r o f e s s o -
r i s O r d i n a r i i .

N E C N O N
Amplissimi Senatus Academici consensu , Nobilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decreto ,
P R O G R A D U D O C T O R A T U S
S u m m i s q u e i n U T R O Q U E J U R E h o n o r i b u s & P r i v i l e g i i s
r i t e & l e g i t i m e c o n s e q u e n d i s ,

Eruditorum examini subjicit
W E S S E L U S R I N G H E L S , G r o n i n g a n u s .
A. D. 19. Maij , horis locoque solitis.



T R A J E C T I a d R H E N U M ,
Ex O f f i c i n â F R A N C I S C I H A L M A , A c a d e m i æ
T y p o g r a p h i , c l o I o c x c .

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis Viris.

- D. JOHANNI van JUSLINGHA Reip: Groning: Consuli Amplissimo & jam P. T. supremi ejusdem Provinciae Tribunalis Adfessori meritissimo, Toparchae in Sandeweer, Ooster Neylant, & Eppenhuisen, Societatis Indicae Occidentalis directori prudentissimo, Patri Patriae venerando.
- D. RENATO BUSCH. J. U. D. inclitae urbis Groninganae Consuli Gravissimo, Societatis Indicae Occidentalis Directori. Toparchae in Esinge, Feerwest, Hardeweer, Grootegast, &c. Praefecto haereditario. *Vulgò Erf-schepper in Esinge & Hardeweer.*
- D. CEBES WERUMEUS, Civitatis Groningae Senatori, Societatisque Indicae Occidentalis Adfessori prudentissimo, & jam ad Collegium Ill: & Praep: ordinum Fæderati Belgii (quod est Hagae Comitum) deputato meritissimo, spectatissimo, cognato suo omni honore, amore & observantia in omne ævum dignando, diligendo, colendo.
- D. EVERHARDO RINGHELS, Toparchae in Hooghkerck, Leeghkerck, & Dorquert, nomine ordinum Provinciae, Gron. & Oml. ad Collegium Archithalassicum, (quod est Harlingae) delegato meritissimo, Parenti suo, omni veneratione in aeternum prosequendo, amore atque honore maestando.
- D. BERNARDO CHRISTOPHORI, Provincialis Aerarii Gron. & Oml. praefecto generali fidelissimo, cognato suo, omnigeno honore nunquam non colendo.
- D. SIGER CRUDENER, J. U. D. Toparchae in Lopperfum, Wirdum & Humsterlandt, ut & Civitatis Groningae, Tribuno plebis jurato prudentissimo, coram ejusdem senatu causarum Patrono disertissimo ac nitidissimo, cognato suo, omni honore ac cultu afficiendo.

Hoc exercitium inaugurale Sacrum esse vult

WESSELUS RINGHELS.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

Emtione & Venditione.

THESIS I.



Emtione venditio unus contractus est, alterutrum tamen vocabulum pro toto contractu ponitur. *l. 19. de Act. emt.* & definitur, quod sit contractus consensu constans, quo agitur de re emtori tradenda pro precio certo nummario. *pr. inst. & §. 1. & 2. h. tit.* perfectus ergo hic contractus est simulatque de pretio convenit. *princ. inst. h. t. & constat*

1. Consensu. 2. Pretio. 3. Merce. *l. 1. h. t. l. 1. ff. de rer. perm.*

I I.

Consensum excludit error, nihilque ei magis contrarium quam error *l. 116. §. ult. de reg. jur. l. 15. ff. de jurisd. l. 2. in fin. pr. D. de judic.* neque tamen quilibet error totum contractum vitiat; imprimis error in solo nomine plane non vitiat. *l. 9. §. 1. h. t.* quia,

A

cum

2 DISPUTATIO JURIDICA

cum rerum explicandarum causa nomina inventa sunt frustra de voce quaeritur, ubi de re constat. §. 29. *inst. de legat.*

I I I.

Si vero error sit in re ipsa, distinctione varia opus. Vel enim in ipsa re tota erratur, uti, si ego sentio de fundo semproniano, tu vero mihi vendas Mævianum, & totus contractus est opso jure nullus. *l. 9. in pr. h. t.* idemque est si erratum est in sexu, *l. 11. §. 1. h. t.* vel non est in re tota & tunc vel est in ejus materia & qualitate essentiali, uti si æs pro auro veneat, & pariter contractus ipso jure nullus est, *l. 9. §. 2. l. 14. d. h. t.* quod in stipulatione & pignore secus est, quæ (non obstante errore in specie aut qualitate essentiali) valent, *l. 22. d. de verb. obl. l. 1. §. fin. de pign. Act.* vid. *Scotan. in exam. jur. h. t.* Sed si pro vase aureo veneat vas ex orichaleo confectum ut in *l. 45. d. h. t.* vel mensa citrea quæ non est; *l. 21. §. 2. de Act. emt.* valet emptio; sed ex empro agitur, ut præstetur id quod venditum est, interdum omne illud quanti emtoris interest, nempe si venditor scivit, vel facile scire potuit. *d. l. 45. & arg. d. §. 2.*

I V.

Si ergo in qualitate extrinseca erratur, is error non viciat emtionem, uti & si quis virginem emere se putet, quæ mulier est, *l. 11. §. 5. de Act. emt.* vel si in sola bonitate rei erretur. *l. 10. ff. h. t.* & actione ex emto præstari debet, quod abest *d. l. 21. §. 2. de Act. emt.* si tamen mensa argento coöperta pro solida vendatur, emtio non valet, sed pecunia eo nomine data condicatur. *l. 41. §. 1. d. h. t.*

V.

Consensus porro requiritur inter ipsos contrahentes ad emendum

dum & vendendum. l. 4. §. 16. d. pro emt. & viciat dissensus in emtione ipsa vel in ejus pretio, eo quod ad contractus substantiam requiritur. l. 9. d. in pr. h. t. requiritur item consensus liber; vi enim metuque extortus si sit rescindetur emtio l. 1. c. de resc. vend. quamvis in quibusdam cogi aliquis possit, ut vendat vel emat: v. g. iter ad sepulcrum l. 12. in pr. de relig. & dominus vendat servum ob scævitiā §. fin. inst. de his qui sui vel al: item propter annonæ caritatem aliamve justam causam. l. 1. c. ut nem. lic. in emt. specier. se exc. l. 1. §. 11. de off. præf. urb. add. l. 14. §. 1. quemadm. serv. am.

V I.

Consensus regulariter nudus sufficit, aliquando vero scriptura necessaria est, uti si conventum, ut emtio in scriptura fieret, l. 17. c. de fid. inst. princ. inst. h. t. unde emtio alia est quæ nudo consensu, alia, quæ scripto constat: quæ non intelligitur contracta, donec aliquid scripturæ deest. *ibid.* & eousque semper recedi inde potest & pœnitentiæ locus est; si tamen arthæ datæ sunt, eas, qui recedit, vel perdit, si dedit vel duplicatas præstat, si accepit. d. t. princ. & d. l. 17.

V I I.

Præter consensum de re & pretio, alia quoque pacta varia adjici huic contractui solent, quæ in continenti adjecta producunt actionem emti venditi, quia contractus ille bonæ fidei est. l. 7. §. 5. d. de pact. Talia pacta sunt addictio in diem; quæ est pactum emtioni adjectum, quo res ea lege venditur, ut si alius intra certum diem meliorem conditionem attulerit, liceat tunc venditori ab emtione recedere, & posteriori rem addicere. *tot. tit. ff. de in di. add.* item lex commissoria, quæ itidem est pactum tale, quo res ea lege venditur, ut si emtor precium intra certum diem non solverit, res inempta sit. *tot. tit. de leg. comm.* de quibus nunc plenius agere, instituti nostri non est.

VIII.

Hactenus de consensu, sequitur de altero requisito emtionis, scil: precio: in quo requiritur ut consistat in pecunia numerata §. 2. *inst. h. t. l. 1. ff. eod. l. pen. C. de rerum perm.* eoque differt à permutatione, in qua utrinque res venit, alterutrum autem precium non est *l. 1. in pr. ff. de rer. perm. l. 1. d. de estim. Act.* sed & si pecunia numerata interveniat, contractus tamen à datione ejus incipiat, non est emtio, sed contractus innominatus Do: ut *Def. l. fin. d. de cond. caus. dat.*

IX.

Requiritur ad precium 2. ut sit certum, sive per se sive relatione ad id facta quod certum est, v. g. eo precio, quod in area est, quod in instrumento expressum est. *l. 7. §. pen. l. 37. ff. h. t.* Unde etiam valet, si res vendatur, quanti Titius æstimaverit; quo tamen casu inest conditio, si æstimaverit adeoque si æstimare vel nolit vel non possit, tota emtio, quasi deficiente conditione est ipso jure nulla, neque ad arbitrium boni viri res reducta intelligitur. §. 1. *inst. h. t. l. ult. c. h. t.* At in ipsius emtoris arbitrium conferri res non potest. *l. 35. §. 1. d. h. t. l. 13. c. h. t.* etsi id quod ad essentiam contractus non pertinet, ut est conditio, in contrahentium quoque arbitrium conferri possit. §. *pen. inst. h. t.*

X.

Requiritur 3. ut precium sit justum: justum autem intelligitur, quoties pars non est in eo læsa ultra dimidium. *l. 2. c. de resc. vend.* de cætero enim contrahentibus naturaliter licitum est se circumvenire. *l. 16. §. pen. de minor. l. 12. §. ult. l. 23. locat.* modo dolus malus absit. *l. 7. §. 7. ff. de pact. 4.* ne sit simulatum, uti si uno nummo facta venditio rei, quæ majoris precii est

l. 10. §. ult. d. de obl. & act. & argum. l. 46. ff. de locat. quod tamen in venditione imaginaria, quæ utraque parte sciente, ob justam causam contrahitur, valet. *l. 66. ff. de jur. dot.*

X I.

Hæc de precio. Sequitur de re seu merce; qua intelligitur res quælibet, excepta pecunia numerata; sive sit corporalis sive incorporalis. Nam & hæreditas, *tot. tit. d. & c. de her. vend.* item nomina, & servitutes & alia jura vendi possunt, *l. 2. c. de obl. & act. tot. tit. ff. & c. de act. vel her. vend.* in omnibus tamen requiritur, at actio sit, seu jus agendi competat, *l. 22. c. mandat.* nec potentiori vendatur. *l. 2. c. ne lic. pot.* etiam spes seu alea vendi potest, uti jactus retis *l. 12. ff. de Act. emt.* & si nihil captum est, nihil debetur à venditore, at emtor precium debet, *d. l.*

X I I.

Sunt autem res quædam quæ vendi non possunt, idque vel simpliciter, vel secundum quid: simpliciter vendi non possunt, res quæ non sunt in commercio, uti res sacræ, sanctæ & religiosæ *l. 9. ff. h. t.* aliquando tamen possunt, quoque vendi, v. g. ob redemptionem captivorum, aliamque piam aut necessariam quoque causam. *l. 21. c. de S. S. eccl. nov. 110. c. 10.* sed venditio universitatis facta valet, etsi locus sacer aut religiosus contineatur. *l. 22. 23. & 24. D. h. t.* quin & jus ipsum sepeliendi vendi & alienari potest. *l. 5. l. 6. D. de relig.* Si venditor sciens rem quæ est in commercio, emtori ignoranti, vendiderit, actio ex emto datur propter dolum venditoris, ad id quod interest. *d. l. 45. ff. h. tit.* idem est, si res publicæ, aliæque quæ in commercio non sunt item liber homo ignoranti à sciente venditore vendantur *§. ult. l. h. t.*

XIII.

Idem est in eis quæ in rerum natura non sunt, nec actu nec potentia: *l. 15. in princ. ff. h. t.* & his casibus, quibus emptio est ipso jure nulla nec res debetur, nec æstimatio, nec pœna, *l. 69. d. de verb. obl.* neque ex postfacto convalescit *l. 29. de reg. jur.* si vero futuræ res sperantur, v. g. fructus nascituri, venditioni conditio inesse videtur, si & quot. nascantur unde si nihil nascitur, emptio nulla est, & precium non debetur, nisi per venditorem steterit. *l. 8. in princ. ff. h. t.* si vero nascantur, retro venditi vendentur à tempore contractus *d. l. 8. in pr.*

XIV.

Secundum quid vendi non possunt, res quæ sunt ipsius Emptoris. *l. 16. & sqq. D. h. t.* possessio tamen ejus, si v. g. penes venditorem sit, potest. Item purpura privato vendi nequit. *l. 1. c. qua res ven. non poss.* ejusque usus privatis interdicitur, *d. l. 1. & Barbaris sericum, l. 2. c. h. t.* eo quod serico & purpurâ soli imperatores & supremi magistratus induerentur.

XV.

Contractæ perfectæque emptionis effectus imprimis duo sunt.
1. Translatio periculi in emptorem; ex eo enim omne periculum rei ad emptorem pertinet; §. 3. *inst. h. t.* etsi traditio nondum sit facta *ibid.* modo culpa aut mora venditoris nulla præcesserit: eam enim ille præstare debet *l. 5. §. 2. commod.* unde simul & commodum ex eo tempore ad emptorem pertinet. *l. 1. c. de per. & comm.* & licet dicatur res perire suo domino. *l. 9. c. de pign. act.* tamen si dominus rem suam alii debeat, magis perit creditori. Aliud quoque est; cum fundus publicatus est, tunc enim distinguunt, an publicatus sit ante traditionem, an post eam; priore casu

casu tradunt venditorem emtori teneri ex emto, l. 33. ff. locat. posteriore periculum emtoris esse, l. 11. in princ. ff. de Evict.

X V I.

Hoc quod dixi de periculo perfecta emtione in emtorem ante traditionem translato, verum est, si emtio pure contracta si enim vel conditio, vel dies adjecta, vel quantitas vendita sit, quæ adhuc admetienda, appendenda, vel adnumeranda est, non transit periculum, nisi ex quo admensio, appensio, & adnumeratio facta sit, quia hæc quasi conditio inesse contractui videtur. l. 8. in princ. de per. & comm. rei vend. l. 35. §. 5. ff. h. t.

X V I I.

Alter effectus contractæ emtionis est, quod duplex actio inde oritur, emti & venditi, quæ utrinque directa est; actio emti est, quæ datur emtori contra venditorem ad rem venditam cum fructibus tradendam, & præstandum dolum & culpam. Actio hæc datur emtori, ejusque hæredibus l. 10. l. 11. pr. de act. emt. non statim, sed si offerat pretium integrum, non partem; l. 13. §. 8. ff. de Act. emt. vel saltem si satisfecerit venditori, aut is fidem de precio habuerit v. g. si in diem solutio precii adjecta fuit, l. 3. c. de pact. int. emt. sed etsi actu venditor tradiderit rem, non tamen transfertur dominium, nisi vel satisfactum vel fides de precio habita fuerit, §. 41. inst. de rer. div.

X V I I I.

Datur adversus venditorem, ejusque hæredes, l. 47. in fin. de Act. emt. ubi D. D. controvertunt, an venditor teneatur rem ipsam præcise tradere, an vero liberetur præstando id quod interest; quod venditor, uti ex aliis rerum obligationibus, rem ipsam, quæ vendita est tradere teneatur, communem esse D. D. senten-

§ DISPUTATIO JURIDICA

sententiam, eamque in foro receptam tradit *Bochelm. ad tit. D. de Act. emt. §. 1. quod sequor; per §. 2. inst. de donat. §. 1. inst. de emt. vend. l. 11. §. 2. de act. emt. &c.*

X I X.

Sufficit verò, si venditor præstet habere licere. *l. 30. §. fin. D. de act. emt. l. 57. ff. de evict. præterea tenetur hac actione ad evictionem, re emtori rite evicta, tot. tit. de evict. item dolum & culpam l. 23. ff. de reg. jur. §. 3. inst. de act. emt. & alia quæ ex æquo & bono præstanda.*

X X.

Cæterum quænam rei venditæ accedant, quæ onera, quæque commoda simul transeant, an fundus à servitutibus pensionibus publicis ac collectis præteritis, item ab onere pignoris, aliisque liber veneat, longum nimis est hic pertractare, nemo accuratius distinctiusque id tradidisse videtur quam *Lauterbach ad tit. ff. de Act. emt.*

X X I.

Actio venditi est, quæ datur venditori, adversus emtorem ad precium solvendum præstandaque ea quæ ex bono & æquo præstanda veniunt. Hæc actio venditori; ejusque hæredibus datur, regulariter non nisi re tradita, *l. 25. ff. de Act. emt.* nisi res casu perierit; tum enim, quia periculum ad emtorem pertinere diximus, competit ei actio pro precio, & si rem tradere non possit. *l. fin. c. de comm. & per. rei vend.*

X X I I.

Tenetur autem emtor hac actione ut precium accipientis faciat,

ciat, & dominium in ipsum transferat, *l. 11. §. 2. in fin. de Act. emt. arg. §. 2. inst. de usufr.* unde si nummos alienos solverit emtor, manet obligatio, *l. 7. c. de Act. emt.*

X X I I I.

Porro tenetur quoque ad usuras ex mora, *l. 13. §. 19. ff. de act. emt. l. 32. §. 2. de usur. l. 5. c. eod.* cum ex eo tempore, quo res emtori tradita est, ipseque inde fructus percipit æquum merito ut etiam usuras præstet sed & impensas necessarias & utiles, quas ipse emtor factururus fuisse videtur, venditor hac actione repetit, *l. 13. §. 22. d. h. t.* & quicquid dolo vel culpa emtoris quoque damni passus est aut alias præstari æquum est; *tit. 3. inst. de obl. ex consens.* Denique, quoties ad resolvendum vel rescindendum contractum agendum utrinque, id hac actione fieri potest. *l. 4. §. 2. ff. de leg. comm. l. 11. §. 5. ff. de act. emt.*

X X I V.

Rescinditur hæc obligatio 1. Mutuo consensu re integra, aut utrinque in priorem statum restituta. *l. 1. l. 2. c. quand. lic. ad emt. disc. l. 48. d. de pact.* 2. Per restitutiones in integrum ex capite doli *l. 5. l. 10. c. de rescind. vend. metus. l. 18. c. eod.* 3. Vi pacti adjecti, ut in eventu ab emtione recedatur. *tot. tit. de pact. int. emt. & vend.* 4. Ob læsionem ultra dimidium. *l. 2. c. de resc. vend. nisi vel sciens valorem ultro eo pretio contraxit; arg. l. 145. d. de reg. jur. vel jurejurando contractum firmaverit l. 1. aut si sacramenta, c. si adv. vend. vel huic beneficio renunciaverit. l. 11. c. de reb. cred. sed ne hæc nostra disputatio propositos egrederetur terminos manum de tabula tollo.*

COROLLARIA.

I.
NEgotiorum gestor praestat culpam levissimam.

II.
Is qui seram in fundo alieno, quem contra Domini prohibitionem erat ingressus, cepit. Nihilominus facit suam.

III.
Testamentum cui causa ingratitude non est inserta post Nov. II5. ipso jure nullum esse arbitror.

IV.
Ususfructus extraneo cedi haud potest.

V.
Actio de tigno juncto semper 3 omni casu est in duplum.

VI.
Tutoris datio non est jurisdictionis ordinariae, sed legitime.

L O F - B A S U Y N

Aengestecken ter eeren van den wel-geleerden Heer

WESSELUS RINGHEL'S,

Als sijn Ed: der beyder Rechten Doctoraat aennam.

WErwaerts de vlugge *Faem* met haere lof-trompetten?
En waerom mach het rot der *Musen* sich doch setten
(Soo prachtigh toegerust; soo luysterlijck gekleet)
Op d' fetel van *Apoll'*, behangen met tapeet?
Is 't niet om daer de lof van RINGHEL'S te doen klincken
Door 't schitt'rend Firmament? Hoe staet *Astraea* blincken
In Goudt en eel-gesteent? 'tis om haer *gunstelingh*,
Die door sijn dapperheyt verdient heeft *bul* en *ringh*,
Te kroonen met Lauwrier. Soo sietmen dat die waerheyt
(*Het eynd' den arbeyt kroont*) blinckt, als der sonne klaerheyt:
't Was RINGHEL'S, die in 't perck van *Themis* had gestaen,
Als overwinnaer; die de letter-rijcke blaen
Van 's *Keyfers Rechten* soo gerolt had'; maer de saeken
Hier selfs getuygen zijnd', sal 'k geen meer woorden maecken,
Het Bloeyfel van sijn deugt, zy eer en klinckend' stof,
Waer uyt dat waffen mach een eyndeloofse lof.

Soo wenscht uyt een teedere *Harts-genegentheyt*

J: VEEN CAMP.

SS: Theol: St.

F I N I S.